



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 288. Currentes nuntiare discipulis eius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

**O** quis non curreret ad vocem Angeli dicentis ibi tali loco videbi-  
Christum Dominum tuum rediuuum & gloriosum. O quis non curs-  
reret inflammatus desiderio & gaudio magno. Manda Deus, Manda, vt ita  
viam mandatorum tuorum curram, confirma quod operatus es in me, per-  
fice opus perfectum sanctum immaculatum, vt inflammatus tui desiderio  
certa fide, spe plenus, charitate perfectus curram post te donec inueniam  
te, videam te, amplectar te, fruatur te mi Iesu.

§. 188. *Currentes nuntiare discipulis eius.*

Hoc facit amor Dei & inflammatio spiritus in eum vt homo non sit  
contentus se scire Deum & nouisse mysteria eius, sed vrget charitas vt &  
alij sciant, ideoque currunt hæ mulieres vt doceant, & significant discipu-  
lis, & sicut flamma semper erumpit, ita charitas Dei se continere nõ potest,  
quin erumpat omni momento & loco in laudem & gloriam eius.

**O** Charitas quam raro versaris in cordibus hominum, quam raro in-  
flammas in me ita vt erumpas in laudem Dei pure, ita vt curras. **O**  
quis eam mihi det, vt noctes atque dies nunquam extinguatur ignis ille cha-  
ritatis in me, sed continuò ardeat, ita vt in magnam flammam erumpat,  
tunc bene mihi erit. ò Domine quis dabit nisi tu qui solus potes, & mittis  
illum ignem in terram vt ardeat: mitte ergo, mitte in cor meum talem ig-  
nem vt totum ardeat, totum ignescat amore tui, & ita inflammetur vt alios  
possit accendere, & illum communicate, & ad currendum ad te unã ex-  
citare.

§. 189. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens Auete.*

Mira Dei clementia dum obedienter ad mandatum Angeli currunt  
piæ hæ & deuotæ mulieres nuntiare Apostolis Christi resurrectionem, lau-  
dem & gloriam. Ecce subito occurrit eis Iesus quasi in solamen & adiuto-  
rium & quem quærebant videre & inuenire, Ecce præsto est eis, & præbet  
primo omnium ipsis se visibilem, nec præbet se solum visibilem, sed & salu-  
tat eas & alloquitur, dicens Auete, vt quæ ex fide & auditu Angeli ibant  
nuntiatum Christi resurrectionem, verè & realiter in persona eum se vidif-  
te, possent quoque testari ab ipso esse salutas: sic omnes qui sincero corde  
Deum quærent, eum inueniunt, cum consolatione & gaudio.

**D**omine fecisti me Sacerdotem tuum, & per consequens mandatum  
dedisti vt annuntiem prædicationes tuas, laudem & gloriam tuam  
omni Creaturæ, Ecce intendo facere quod iussisti, tu succurre tu occurre,  
gratia tua; vt bene curram viam mandatorum tuorum, & perficiam o-  
pus iniunctum ad gloriam maiorem tui & salutem animarum multarum,

Aa

vt